

PUNCTUM VIII.

De indissolubilitate matrimonii.

100. Inq. 1. An, & quo jure matrimonium sit indissolubile? R. Esse indissolubile jure naturali, divino, & humano. Jure naturali, quia procreatio, educatio, & instructio prolis, ad quam ordinatur matrimonium, exigit perpetuam vitæ societatem inter virum, & foeminam, seu diurnam mansionem parentum, ut ait D. Thom. in suppl. q. 67. a. 1. Jure divino constat ex cap. 19. Matth. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Jure humano liquet ex cap. fin. de condit. apposit. & alibi sæpe.

101. Objic. 1. Matrimonium ideo est indissolubile, quia est sacramentum, ergo non jure naturali. 2. Omnis res, per quas causas nascitur, per easdem naturaliter dissolvitur. 3. Quod potest quis in perpetuum, potest ad tempus. 4. Matrimonium ratum dissolvitur per professionem religiosam, & per dispensationem Pontificis, & consummatum per conversionem unius ad fidem, ergo non est jure naturæ indissolubile.

102. R. ad 1. Matrimonium esse indissolubile ex natura rei, & non tantum, quia est sacramentum. Ad 2. illam regulam non tenere in rebus, quæ ex se perpetuitatem deposcunt, uti est matrimonium, per quod patet ad 3. Ad 4. Quod aliud est rem esse sua natura perpetuam, aliud quod ab extrinseco possit destrui, aut dissolvi: ut liquet in Angelo, qui incorruptibilis est ex se; potest tamen a Deo in nihilum redigi, & in voto castitatis absolute, quod ex natura sua est perpetuum; at potest dispensari a Pontifice. Sed pro majori claritate:

103. Inq. 2. An matrimonium ratum possit Pontificis autoritate dissolvi? R. affirm. Quia Pontifex habet potestatem non solum ordinariam, ut Princeps supremus, sed etiam extraordinariam, & specialem ut Christi vicarius ad omnia necessaria pro regimine Ecclesiæ, suorumque subditorum; sed ad hunc finem aliquando opus est dispensatione matrimonii rati, nempe quando adesse gravissimam, & sufficientem causam ipse Pontifex agno-

verit: ergo vera est resolutio. *Confirmatur* ex pluribus factis aliquorum Pontificum, inter quos fertur Gregor. XIII. uno die cum undecim dispensasse.

104. Cause autem, quæ ab aliquibus designantur, aliis non immerito insufficientes videntur. Ideo illæ tantum cause sufficientes putandæ sunt, quæ, attente perpendis circumstantiis personarum, & necessitatis, tales prudenter judicentur. Quoniam res gravissima est, & gravissimam exigit causam. Asserere vero posse Papam dispensare in matrimonio rato, etiam sine causa, nec fundamento solido dicitur, nec credi valet, ut patet ex indissolubilitate jure naturæ, & divino supra indicata.

105. Objic. Papa nequit dispensare in jure naturali, & divino, uti est indissolubilitas matrimonii rati. 2. Matrimonium ratum ejusdem speciei est, ac consummatum, sed in hoc nequit dispensare, ergo nec in illo. 3. Episcopus non potest in illo dispensare, esto possit in sua Diocesi, quod Papa in tota Ecclesia. R. ad 1. Papam posse dispensare cum causa in aliquibus, esto sint de jure naturali, & divino, si fundentur in actibus humanis, ut liquet in voto. Ad 2. Matrimonium ratum non esse totalem traditionem corporum, sicut consummatum. Ideo hoc significat conjunctionem Verbi cum humanitate; illud vero unioem Christi animæ per gratiam. Ad 3. Non posse Episcopum in sua Diocesi omnia, quæ Papa in tota Ecclesia, maxime in rebus gravioris momenti, & quæ ei non competunt. Neque Episcopus gaudet potestate extraordinaria pro sua Diocesi, sicut Papa pro tota Ecclesia.

106. Inq. 3. Quo jure matrimonium ratum dissolvitur per professionem religiosam? R. Dissolvi non solum jure divino, & pontificio, sed etiam jure naturæ. Tum quia professio solemnis, de qua loquimur, est veluti mors spiritualis. Tum quia jus naturale dicitur licitum esse a statu imperfecto ascendere ad perfectionem, si absque injuria alterius id fieri possit; sed ex eo, quod quis ex matrimonio rato ad religionem transeat, non fit injuria alteri, qui liber manet, ut nubat, cui velit, ergo dissolvitur præcedens vinculum; alias non liceret transitus, cujus oppositum est de fide, ut patet ex Trident. sess. 24. can. 6.

107. Objic. 1. Quod est traditum uni, nequit

nequit tradi alteri; sed per matrimonium ratum traditur conjux alteri conjugi, nequit tradi religioni. R. Quod per matrimonium ratum non fit absoluta, & totalis traditio, sicut fit in consummato. Ideo hoc matrimonium non dissolvitur per professionem, bene vero illud, in quo solum adest vinculum velut spirituale.

108. Objic. 2. Matrimonium ratum non dissolvitur per ordinem sacrum, esto constituat statum perfectiorem, ergo idem de professione. R. neg. conseq. Quia ordo sacer non est mors perfecta spiritualis, ideo per illum, imo nec per Episcopatum ob eandem rationem non dissolvitur matrimonium ratum, sicut per professionem religiosam, quæ est perfecta mors spiritualis, & civilis.

109. Inq. 4. An matrimonium infidelium dissolvatur per conversionem unius ad fidem? R. Dissolvi, quando infidelis admonitus, & recusans conversionem, conversus transit ad alias nuptias, vel si in religione solemniter profiteatur. Hoc secundum constat ex proxime dictis de matrimonio rato fidelium, quod firmius est consummato infidelium. Debet tamen infidelis semper admoneri, si velit converti. Si enim convertatur, nequit alter prius conversus ad alias nuptias transire, nec absque ejus consensu religionem prosteri. Nam si ambo convertantur, non dissolvitur, sed firmum manet. Quod autem per solam conversionem ad fidem non dissolvatur matrimonium, probatur: tum quia si ambo convertantur, remanet firmum, ut dictum est. Tum quia fides non destruit, sed perficit naturam. Unde solum, quando alius non vult cohabitare absque in juria Creatoris, vel monitus converti recusat, & conversus post prudentem monitionem transit ad alias nuptias ex privilegio, in favorem fidei a Christo D. concesso, dissolvitur tale matrimonium: quia generatio unius est corruptio alterius. Unde si infidelis, antequam fidelis ad alias nuptias transiret, matrimonium iniret, nullum esset, quia caret fidei privilegio publicato a D. Paulo 1. ad Cor. 7. & cap. Gaudemus, de Divort. Benedic. XIV. in Bulla quæ incipit *In suprema*, data 16 jan. 1745. dispensavit, ut judei, alique infideles conjugati ad fidem conversi in civitate Veneta possent contrahere matrimonia

ritu catholico, etiam superstite conjuge infideli, et ejus consensu, vel requisito, & non expectato, vel minime requisito, si circumstantiæ loci, & temporis monitionem non permittant; hujusmodique matrimonia nunquam rescindi debere, esto priores conjuges postea ad fidem convertantur. Hæc dispensatio non interpellandi, nec expectandi consensum conjugis in infidelitate relicti, solum intelligitur pro Judeis conversis in ditione veneta, pro aliis vero debet præcedere interpellatio more recepto facienda, an infidelis velit, necne se ad Christum convertere, ut conversus valeat ad nuptias ritu catholico transire, ita idem S. Pontifex in Bulla *Apostolici ministerii* data 16. Sep. 1747.

PUNCTUM IX.

De polygamia, monogamia, bigamia, & bivinatu.

110. Inq. 1. Quid sint polygamia, & cætera in titulo recensita? R. Quod, polygamia est conjugium unius viri cum pluribus uxoribus simul retentis. Monogamia est conjugium unius cum una sola. Bigamia est conjugium unius cum pluribus successive, ita ut mortua una, ducat alteram. Bivinatus est conjugium unius femina cum duobus, aut pluribus viris simul. Hoc conjugium est omnino reprobatum, & contra jus naturæ, in quo nullus quit dispensare, nec unquam Deus dispensavit. Est enim contra prima legis naturæ præcepta, licet non totaliter, & contra finem primarium matrimonii, nempe prolis generationem, & educationem. Tum quia pluralitas virorum cum eadem femina non parum impedit generationem prolis. Tum quia dubitaretur, cujus hæc esset, & sic impediretur ejus educatio. Potest tamen Deus in eo dispensare, quia non est totaliter contra finem matrimonii, nec ab intrinseco malum. Alio nomine bivinatus vocatur polyandria.

111. Inq. 2. An a principio, aut nunc sit valida, aut licita polygamia? R. neg. Quia ab initio masculum, & foeminam creavit Deus, & dixit: *Erunt duo in carne una.* Genes. 2. Constat etiam ex Trident. sess. 24. Can. 2. Constat pariter ex jure civili. Imo Romani adhuc in gentilitate prohibere polygamiam, nec admittere vole-

runt legem Julii Cæsaris, eam permittentem. Et licet quidam Imperatori Valentiniano eandem tribuant legem, alii melius falsam talem permissionem demonstrant. Solus spurcissimus Maomethus in sua nefanda lege plures uxores simul habere suis miseris sequacibus permisit. Igitur polygamia jam omnibus illicita est post Evangelium, ubi Christus restituit matrimonium in suum statum pristinum *Matth. 19.*

112. Inq. 3. An aliquando fuerit licita polygamia? R. affirm. Olim quippe Deus dispensavit cum Abraham, Isaac, Jacob, David, & aliis Patriarchis, sive per internam inspirationem, sive per externam locutionem, unde extensa fuit dispensatio ad reliquos Judeos, ut populus Dei augetur carnali propagatione, sicut nunc augetur regeneratione spiritali. Potest enim Deus dispensare in præceptis naturalibus secundi ordinis, ut est indissolubilitas matrimonii, sive dicatur dispensatio propria, sive impropria, mutando rerum materias, & faciendi ut supremus dominus, quod corpus viri, quod totaliter debebat tradi uxori, solum tradatur partialiter. Ante diluvium solus Lamech fuit polygamus, *Genes. 4.* Et ut primus adulter reprehenditur a sanctis patribus, quia in longeva illa ætate sufficiebat monogamia ad propagandam naturam.

113. Inq. 4. An bigamia sit licita? R. affirm. Quia mortuo uno conjugum, alter manet liber, ut cui vult nubat. Vinculum enim matrimonii per mortem dissolvitur. Nec contra hoc est illud Apostoli: *Acciperunt mulieres de resurrectione mortuos suos.* Nam sermo est de filiis resuscitatis. Si autem loquatur de maritis, intelligendum est contraxisse de novo matrimonium. Igitur licitum est secundum matrimonium, mortuo uno ex conjugibus; ita ut si hic resurgeret, nullum jus haberet in alterum, nec iste ad illum.

114. Sed Objic. 1. Sancti Patres dicunt secundas nuptias esse illicitas, & appellant eas fornicationes. 2. Bigami puniuntur ab Ecclesia poena irregularitatis. 3. Secundæ nuptiæ non benedicuntur ab Ecclesia. 4. Jus civile sub gravi poena eas prohibet in lege 1. cap. de secundis nuptiis, & alibi.

115. R. Ad 1. Secundas nuptias dici non bonas, quia carent honore significationis desponsationis Christi cum Ecclesia,

ut una unius. Dicuntur vero fornicatio quantum ad causam, quæ frequenter solet ad eas incitare, scilicet concupiscentia. Ipsæ autem licitæ sunt, ut fides docet in pluribus Conciliis. Ad 2. Irregularitatem incurri ob defectum significationis dictæ, non ob culpam contraheandi secundas nuptias. Ad 3. Ob unum defectum non benedici secundas nuptias, quando sunt secundæ ex parte utriusque conjugis, aut ex parte feminæ. Benedici tamen debent, quando vir secundo nubit virgini; tunc enim salvatur significatio, quia licet Christus habeat unam sponsam Ecclesiam, habet tamen in ea plures animas sponas. Ad 4. Dicitur Jus civile esse correctum quoad hoc per jus canonicum in cap. *Super illa.* cap. *Secundum Apostol. de secundis nuptiis.*

116. Inq. 5. An secundum matrimonium sit sacramentum? R. affirm. Quia in eo adest materia, forma, & minister sicut in primo, ergo est verum sacramentum. Ita declaratur tamquam de fide in *Trid. sess. 24. can. 1.* Nec valet dicere illi deficere significationem desponsationis Christi cum Ecclesia? R. Enim illi deficere non secundum se, sed tantum comparative ad primum matrimonium. Nam secundum se, & in se est perfectum sacramentum unius cum una, licet comparative ad primum in aliquo deficiat a significatione omnimoda.

117. Inq. 6. Quæ certitudo requiratur ex parte feminæ v. g. de morte viri, ut alteri licite possit nubere? R. Certitudinem moralem requiri. Non enim sufficit assensus probabilis, nec dictum unius testis oculati solum, nec fama communis, nisi conjecturis prudentibus fulciatur. Cum enim sit negotium gravissimum, maturo iudicio indiget. Si autem, inspectis accurate circumstantiis, habeatur certitudo moralis de obitu viri, potest femina alteri nubere. Verum si, contracto secundo matrimonio, primus vir vivus compareat, aut de ejus vita constat, debet statim secundum relinquere, & redire ad primum. Hic autem tenetur eam recipere, saltem in casu, quo non sit gravida a secundo.

118. Inq. 7. An, si mulier dubitans de morte mariti, vel putans esse vivum, qui revera esset mortuus, contraxit cum alio, validum celebraverit matrimonium? R. Quod, si apposuit verum consensum, saltem

tem conditionatum pro casu mortis viri, intendens facere, quod potest, validum est matrimonium; quia revera, supposita viri morte, habilis est ad illud. Alias intendens facere, quod potest, apponit consensum sufficientem actualem. Filii habiti ex secundo matrimonio, bona fide contracto, censentur legitimi, & succedunt in hereditate utrique parenti, esto ex parte unius defecerit bona fides, vel tempore contractionis, vel tempore conceptionis. At patens, cui bona fides defuit, non succedit filiis dicta fide deficiente habitis.

PUNCTUM X.

De bimestri, & repudio.

119. Inq. 1. Quid concedatur conjugibus in bimestri? R. Bimestrem appellari concessionem, ab Ecclesia conjugibus datam, ne intra duos menses invicem compellantur ad consumandum matrimonium propter tria. 1. Ut deliberent de ingressu religionis, 2. Ut præparentur necessaria ad solemnitatem nuptiarum, 3. *Ne vitem habeat maritus datam, quam non suspiravit dilatam.* Verum prima est potissima causa hujus privilegii. Unde, si alter conjugum velit transire ad religionem, potest licite intra duos menses: quo in casu debet alius expectare toto anno probationis, vel amplius usque ad professionem. Hac autem secuta, potest in sæculo manens nubere, cui velit. Transacto vero bimestri, cessat privilegium, quare neuter sine alterius consensu potest religionem ingredi: eo enim transacto, ex parte utriusque acquiritur jus debitum petendi, nisi voto religionis astringantur. Si vero, esto illicite, transeat unus eorum ad religionem, & profiteatur, dissolvitur matrimonium non consumatum.

120. Inq. 2. An possit quis nubere animo ingrediendi religionem ante matrimonii consumationem? R. Sine gravi causa non posse. Quia contractus matrimonialis ex se est perpetuus; unde contra ejus naturam, imo contra justitiam ageret sic procedens. Si autem adsit causa gravis, ut consilere honori feminæ, aut velle implere sponsalia jurata, valet contrahi matrimonium animo ingrediendi religionem intra bimestre. At siye conjux habeat ani-

mo ingrediendi religionem, sive non, potest uti bimestri concessa a jure, & nequit cogi ad consumandum matrimonium sine gravi injustitia. Quia intra bimestre nullus conjugum habet jus ad petendum debitum, ita ut alter cogatur reddere. Nam licet nunc non habeat animum religionem ingrediendi, potest, illo mutato, habere postea diversum, & meliorem, quo injuste privatur, si compellatur consumare matrimonium.

121. Inq. 3. Quid intelligatur nomine matrimonii consumati; aut quando dicatur matrimonium esse consumatum? R. Ad hoc non sufficere penetrationem vasis foeminei, si vir non seminavit; quia solum consumatur matrimonium per copulam, qua conjuges fiunt una caro, quod absque viri seminatione non verificatur. Nec sufficit copula fornicaria ante matrimonium habita, quia non fuit copula maritalis. Requiritur ergo copula maritalis, per quam semen a viro emissum recipiatur intra vas naturale foemine; etiam si hoc fiat sine penetratione arte Daemonis; vel per attractionem matricis; tunc enim fiunt duo una caro. Ad autem semen etiam mulieris necessario ad hoc requiritur, utrumque est probabile, esto probabilius sit non requiri. In foro externo, si constat de penetratione vasis foeminei, esto nullam semen sit emissum, non creditur viro, dicenti se non seminasse; oppositum enim præsumitur ex regulariter contingentibus.

122. Inq. 4. An, si vi, aut metu cognoscatur femina a viro, consumetur matrimonium, ita ut neuter possit religionem ingredi? R. Consumari revera matrimonium: sed pro licito transitu ad religionem adest differentia; quia, si consumatio fuit metu facta post bimestre, non adest locus ingressui religionis; quia, transacto bimestri, non est femina injuste coacta, sed jure a viro post illud acquisita. Si autem consumatio fuit facta in bimestri, potest femina ingredi in religionem, nisi prolem susceperit, quia ob injustitiam alterius non est privanda mulier privilegio amplectendi religionem; esto matrimonium, utpote consumatum, non dissolvatur per ejus professionem. Idem est, si vir intra bimestre cogatur consumare matrimonium.

123. Inq. 5. An repudium legitimum

uxoris licitum fuerit in veteri lege? R. affirm. Colligitur ex Deuter. 24. Ubi modus repudiandi, & cæremonia, quibus fieri debebat, habentur his verbis: *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non inuenit gratiam ante oculos eius propter aliquam fæditatem, scribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua: cumque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, & dimiserit de domo sua, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem, quia polluta est, & abominabilis est facta coram Domino.* Unde constat modus repudiandi, nempe scribendo in libello repudium, & tradendo illum uxori. Constat etiam causa repudii, nimirum fæditas uxoris, aut quid aliud exosum marito. Ratio autem permissionis fuit vitare uxoricidium propter duritiam cordis Judæorum. Igitur esto an illis liceret repudium, vel non, utrumque sit probabile in D. Thom. qui problematice utrumque defendit in *supplem. q. 67. a. 3. & 4.* Plus tamen ad partem affirmativam inclinat.

124. Confirm. Nam si esset illicitum, incredibile est Prophetas non reprehendisse repudium mere permissum, sicut reprehendebant alia peccata, imo & usuras mere permissas: igitur non solum permissum, ut minus malum fuit Judæis repudium, sed absolute licitum. Nunc autem licet Judæus uxoratus ad fidem convertatur, nequit dare libellum repudii uxori, nolenti se convertere. Esset enim Judæizare, ut ait Bened. XIV. in const. *Apostolici ministerii*: edita 16. Sep. 1747.

125. Inq. 6. In quo differat bimestre, ab Ecclesia catholicis concessum, a repudio Judæis a Deo permissum? R. Differre in tribus. 1. Quia bimestre est licitum catholicis; quod non habuit repudium pro Judæis. 2. Quia bimestre est concessum ob majus bonum; repudium vero permissum fuit ad vitandum majus malum. In quo etiam differt hoc a polygamia concessa eisdem Judæis, ut patet ex supradictis. 3. Quia bimestre solum proficit, dum matrimonium est ratum; repudium etiam dabatur post matrimonium consummatum. Convenit autem utrumque in eo, quod sicut matrimonium ratum dissolvitur per professionem religiosam; ita

repudium dissolvebat matrimonium consummatum. Deus enim de potestate absoluta valet in eo dispensare, cum sit res ad præcepta naturalia secundi ordinis spectans.

PUNCTUM XI.

De divortio.

126. Inq. 1. Quid, & quotuplex sit divortium? R. Est *separatio unius conjugis ab altero.* Aliud est quoad vinculum, aliud quoad torum, & habitationem, vinculo remanente. Illud solum potest dari per professionem solemnem in religione, & per dispensationem Pontificis in matrimonio rato; ac per conversionem unius ad fidem in matrimonio consummato infidelium. Hoc autem datur etiam in consummato catholicorum. Difiert vero a repudio in eo, quod repudium totaliter dissolvebat matrimonium; divortium autem, de quo loquimur, non dissolvit vinculum matrimonii. Potest esse perpetuum, & temporale juxta varietatem causarum.

127. Inq. 2. Quæ sint causæ divortii? R. Causas divortii perpetui esse in duplici differentia. Aliæ enim sunt bonæ, aliæ prævæ. Causæ bonæ sunt professio in religione, vel susceptio ordinis sacri unius conjugis ex consensu expresso, & libero alterius autoritate Episcopi; vel mutus utriusque consensus, voto perpetuæ castitatis confirmatus. Causæ prævæ sunt crimen adulterii, aut hæresis a conjugè perpetratum. Adulterium est causa divortii perpetui ex jure divino *Matth. 19. Qui cumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur.* Et jure naturali: quia frangenti fidem non est servanda fides. Hæresis est causa divortii ex jure Ecclesiastico. *Cap. de illa, de divortio.* Hæretici, ut pro libito dissolvant matrimonia quoad vinculum, contendunt illicitum esse divortium, manente vinculo. Huc tamen errorem damnavit Trid. *Sess. 24. cap. 7.*

128. Causæ divortii temporalis sunt quatuor. 1. Sevitia unius conjugis in alterum. 2. Furor, ex quo grave malum possit timeri. 3. Machinatio in vitam alterius præcisive a furore. 4. Provocatio ad Dei offensam in quacumque materia. In his casibus, si vera emendatio adsit, tenetur innocens reconciliari alteri, secus absque illa.

casibus, si vera emendatio adsit, tenetur innocens reconciliari alteri, secus absque illa.

129. Inq. 3. Quale adulterium sit causa perpetui divortii? R. Esse adulterium proprie tale, & consummatum. Non enim sufficit copula sine effusione seminis, quia per eam non dividitur caro. Neque alii tactus, aut oscula, neque pollutio extra vas, aut cum foemina picta, seu mortua est proprie adulterium, sed peccata mollicitæ, & contra naturam, quæ nec dividunt carnem, nec causant incertitudinem prolis. E contra sodomia, & bestialitas proprie talis dividunt carnem, & sunt causa divortii perpetui; non autem si fuerit cum propria uxore, non enim tunc dividitur caro cum alia. Est tamen causa divortii temporalis, si ad illam provocet conjux.

130. Inq. 4. An adulterium æque sit causa, divortii in viro, ac in foemina? R. Esse quoad hoc pares. Quia licet in foemina sit gravior culpa ob incertitudinem prolis; tamen in his, quæ ad fidem conjugii attinent, utriusque conjugis jura paria sunt. Imo esto unus semel tantum, & alter pluries adulterium commiserit, idem esset quoad violationem fidei. Unde ita fieret compensatio, ut qui semel adulteravit non posset recedere ab alio, qui plura adulteria commisit, nisi post reconciliationem ea repeteret. Quamvis enim non sit paritas quoad numerum, est tamen paritas quoad fidei fractionem. Eadem ratione licet adulterium unius esset publicum, & alterius occultum, nequiret juste hic reclamare contra alium: nisi ad vitandum scandalum id faceret. Tunc autem post recessum ad tempus deberet redire simul condonationem injuriæ publicæ, ut sic justitiæ conjugii, ac scandalo aliorum simul satisfaceret. D. Thom. *supplem. q. 62. a. 4.*

131. Inq. 5. An aliquando non solum possit vir, sed etiam debeat dimittere uxorem ob adulterium? R. affirm. Quando enim post correctionem fraternali persisteret in adulterio præsertim publico, teneretur vir eam deserere, ne videatur eidem consentire, aut particeps esse delicti. Excusatur tamen si prævideat, quod uxor dimissa liberius libidini indulgebit. Uxor autem vix tenetur recedere a viro,

nisi in casu periculi perversionis, vel provocationis in peccatum. Non enim uxori incumbit correctio viri, sicut huic correctio illius, quia vir est caput mulieris, & non e contra. Angelicus *ibi. a. 2.*

132. Inq. 6. Quot in casibus nequeat unus conjux alterum dimittere? R. Quatuor casus recenseri: 1. Si uterque sit reus adulterii; vel cooperando adulterio unius; vel ad illud inducendo; vel seorsim illud perpetrando. 2. Si adulterium fuit absque culpa, vel quia vir accessit ad alienam putans esse suam; vel quia uxori idem accidit, vel vi oppressa fuit. 3. Si unus alterum sibi reconciliavit verbis, aut copula maritali. 4. Si in infidelitate vir dedit uxori libellum repudii, & hæc ad alias nuptias transivit: quo in casu si ambo convertantur, debet vir eam recipere. Ad hos casus reducuntur reliqui ab aliis recensiti. Ita D. Thom. in *supplem. q. 62. a. 1. in corp.*

133. Inq. 7. Qua autoritate possit fieri divortium? R. Sub distinctione. Vel enim sermo est de divortio solum quoad torum, vel etiam quoad habitationem. Divortium tantum quoad torum potest fieri autoritate propria, sive mutuo consensu ad majorem vite perfectionem, vel in perpetuum, ut aliqui sancti fecerunt, vel ad tempus, ut vacant orationi juxta monitum Apostoli *1. ad Cor. 7.* Divortium autem quoad habitationem solum debet fieri autoritate, aut sententia Judicis, seu Episcopi. Nisi adulterium esset publicum; tuac enim publicitas delicti excusaret separationem. D. Thom. *ubi supra a. 3.*

134. Inq. 8. An divortio Judicis sententia facta possit innocens alterum cogere, ut ad se redeat? R. affirm. Quia separatio fuit facta in poenam delinquentis, & in favorem innocentis, ergo hic jus habet cogendi illum ad se redire. Non tamen ad id tenetur innocens ex justitia, esto alius sit emendatus, quia habet jus ad divortium perpetuum. Nihilominus ex caritate, & honestate decet, ut emendatus recipiatur, & admittatur, si petat reconciliationem. Facta legitima separatione valet innocens transire ad religionem, aut sacris initiari, quia liber est ab obligatione cohabitandi. Verum delinquentis nequit id facere sine consensu innocentis; quia, ut dictum est, habet hic jus, si velit, cogendi illum

illum ad se redire. Si autem innocens jam est sacris initiatus, vel professus in religione, potest alter idem respective facere, quia ille amisit jus supradictum. Si reus sine consensu innocentis sacris initiaretur, incurrit irregularitatem, & ad uxorem redire cogitur, si ipsa velit. Si autem in religione profiteatur, professio nulla est, & pariter debet ad conjugem volentem redire. Uno conjugum de consensu alterius in religione professio, aut sacris initiatio debet alter, si sit senex, votum castitatis emittere. At si sit juvenis, debet etiam religionem ingredi. Ut autem vir in Episcopatum assumatur, debet prius uxor amplectere religionem. Hæc autem non intelliguntur, dum adfuit divortium, sed quando proveniunt ex libero utriusque consensu. Vid. Bened. XIV. in Syn. Lib. 3. cap. 12. a. n. II.

PUNCTUM XII.

De debito conjugali.

135. Inq. 1. An conjuges teneantur sibi invicem reddere debitum? R. affirm. Constat ex Apostol. 1. ad Cor. 7. *Uxori vir debitum reddat: similiter autem & uxor viro.* Patet etiam ratione: quia ad hoc se obligant in contractu matrimoniali. Unde cum hic contractus transacto bimestri obliget graviter ex justitia, tenentur conjuges sub gravi sibi invicem debitum reddere, sive explicitè, sive tacite indicis petatur. Per se tamen non tenentur petere, quia quilibet valet cedere juri suo. At per accidens pluries teneri possunt; ut si alter non audeat petere, agnoscitur tamen rationabiliter velle; maxime vero si prævideatur periculum incontinentiæ aut in se, aut in alio imminere, tunc conjux esto alias sit privatus jure petendi, debet petere sub gravi, quia virtualiter est reddere. Ex hac obligatione debitum reddendi peccant graviter conjuges, si ad id fiant impotentes: ex crapula, aut alio vitio.

136. Inq. 2. An dentur aliquæ causæ excusantes conjuges a gravi obligatione reddendi debitum? R. affirm. In primis intra bimestra nulla est obligatio debitum reddendi. Deinde causæ sufficientes ad divortium, sive perpetuum, sive ad tempus

excusant respective ab eadem obligatione. Præterea morbus gallicus, aut alius contagiosus, seu periculum notabile salutis afferens, pariter excusat; quia ordo naturæ, & caritatis deposcit, ut prius proprio bono, quam prolis consulatur. De obligatione reddendi debitum conjugi leproso vide D. Th. in *supplem.* q. 64. a. 1. ad 4. Idem pariter de amente, præcipue si femina est talis, ob manifestum periculum, cui proles exponeretur. Si ambo conjuges fiant amentes, illico sunt separandi. Qui vero eos conjungeret, gravissime peccaret. Eadem ratione excusatur conjux reddere debitum ebrio, nisi timeatur majus malum incontinentiæ, sive rixarum, aut quid simile. Excusatur etiam uxor, quæ pluries experta est se parere filios mortuos; maxime si ipsa mortis periculo exponitur in partu. Hoc tamen non intelligitur, quia semel, aut iterum abortum, aut difficilem partum experta est, sed quando impotens hæcenus parere filios vivos, idem timet in futurum judicio peritorum.

137. Inq. 3. An conjux excusetur a jejuniis Ecclesiæ, ne fiat debilis, aut impotens ad reddendum debitum? R. neg. Quia jejunia Ecclesiæ satis moderata sunt, & neminem reddunt impotentem ad suæ obligationi satisfaciendum. Aliqui ajunt non posse conjuges se extenuare pœnitentiis, ita ut non valeant debitum reddere, quod licet verum sit, adhuc non invenimus similem pœnitentem. Congruit quandoque conjugibus facere prudentes, & moderatas pœnitentiis, sicut congruit facere ejusdem conditionis peregrinationes, & absentias; non tamen largas absque alterius consensu. Si autem vir cogatur alio transmutare, tenetur uxor eum sequi, prout diximus tract. 15.

138. Inq. 4. An ne nimis multiplicetur familia, excusentur conjuges a reddendo debito? R. Vel familia jam est gravata ultra vires, vel non. Si hoc secundum, tenentur ad debitum reddendum; alias pauperes ostiatim mendicantes non possunt nubere. Videmus autem eorum conjugia Ecclesiam approbare. Quamvis, ut verum fatear, vix talia matrimonia felicem exitum habent, ut experientia satis superque demonstrat. Si primum, expedit ut conjuges inopes se contineant, ne inopia amplius gravati, continuis rixis, & dissidiis adi-

tum

tum aperiant; tamen si non se continent, debitum sibi reddere tenentur. Si vero non sit periculum incontinentiæ, & familia sit ultra vires gravata, possunt saltem sine gravi culpa illud sibi denegare, ne proles cogatur miserrime, aut illicitis mediis vitam ducere. Imo adhuc præcissime ab hoc juxta motivo denegatio debiti valet excusari in totum, vel saltem a gravi, dum raro negatur, vel ex aliqua rationabili causa, vel dum non instanter, nec tamquam ex justitia, sed amicabiliter, vel nimis frequenter, aut importune petitur. Capitis, aut dentium dolor, vel alia indispositio levis non est sufficiens causa ad debitum negandum; dum vero timetur grave salutis nocumentum, potest, & debet, ut diximus, denegari.

139. Sed Objic. Quilibet pro salute spirituali proximi potest, & debet detrimentum corporale subire, ergo si periculum incontinentiæ imminet conjugi, debet alter etiam cum detrimento salutis ei debitum reddere. R. neg. conseq. Quia antecedens est verum, quando proximus est in extrema, vel gravi necessitate spirituali, a qua facile nequit se liberare. Conjux autem oratione, jejuniis, aut alia pœnalitate valet facile a periculo incontinentiæ se eximere.

140. Inq. 5. An conjux dubitans de valore matrimonii possit petere, aut reddere debitum? R. Sub distinctione. Vel enim ambo contraxerunt mala fide, aut cum dubio, vel non. Si primum, nec petere, nec reddere valent; quia possessio incepta cum mala fide nullum jus tribuit. Si secundum, etiam opus est distinctione: quia vel alter eorum est certus de nullitate, & sic minime valet petere, nec reddere, esto a iudice censuris compellatur; quia iudex, præsumendo matrimonium esse validum, juxta allegata, & probata procedit. At veritas omni presumptioni præponderat. Iudex ut persona publica, conjux ut privata se gerere debent. Vel adest probabilitas nullitatis matrimonii, & in hoc casu non potest petere debitum; reddere tamen debet transacto bimestri. Idem est, si dubitet de valore illius, quia nisi aliqua ratione prudenti, vel ex consilio viri docti dubium deponat, nequit petere, alias periculo peccandi se exponit. At reddere debet, quia per dubium, aut probabili-

tatem unius alter non est jure suo privandus. Si denique solum sit dubium leve, suspicium, aut scrupulus, eo deposito ex prudenti viri consilio potest non solum reddere, sed etiam petere. Ita Innoc. III. in *cap. Inquisitioni, de sententia excommunicat.* & D. Thom. in 4. dist. 38.

PUNCTUM XIII.

Alia dubia circa debitum conjugale.

141. Inq. 1. An conjux possit licite reddere debitum alteri illicite petenti? Ante responsum nota aliud esse petere *injuste*, aliud *illicite*. Primum est petere amisso jure petendi, ut adulter. Secundum est petere cum jure, sed peccando: ut ligatus voto castitatis. Insuper petere *illicite* dupliciter accideret potest. Vel *illicite* ex parte personæ, ut in exemplo habentis votum castitatis; vel *illicite* ex parte actus, ut si petatur cum periculo prolis, vel in loco sacro, aut incongruo. Quibus suppositis:

142. R. Conjugem non teneri reddere debitum injuste petenti, quia petit absque jure. Idem si petat illicite ex parte actus, ut cum periculo prolis, vel in loco incongruo, nisi causa necessitatis aliud deposcat. Si autem petitio sit illicita solum ex parte personæ, aliqui asserunt, quod in hoc casu uxor tenetur reddere, quia petit cum jure, esto peccando ex parte petentis. Sed hæc distinctio metaphysica est, & subtilior, quam res morales exigant.

143. Nos ergo conformius ad sanam doctrinam, quam expendimus in tract. de scandalo, & tract. 19. n. 148. dicimus uxorem non teneri reddere debitum marito illicite petenti, esto jure petat, nisi aliqua causa gravis intercedat, ut timor in aliqua graviora prolapsurum, vel securura dissidia, scandala, aut similia. Quilibet enim ex charitatis præcepto tenetur vitare ruinam proximi spirituales, si possit sine hoc præjudicio. Scienti enim, adhuc & volenti injuriam facimus, dum ejus ruinae cooperamur, quando debemus eum a peccato avertere; contra charitatem ergo peccat consentiens illicite petitioni.

144. Inq. 2. An conjux, qui baptizavit filium alterius, sive amorum, aut fuit ejus patrinus in baptismo, vel confirmatione,

tionem, possit licite petere debitum? R. Sub distinctione vel enim id fecit alio deficiente, aut ex necessitate; vel extra necessitatem voluntarie, & scienter. Si primum, nec peccavit, nec privatus manet jure petendi debitum, quia sine culpa non datur poena. Si secundum, peccavit graviter, & est privatus jure petendi debitum, quia contraxit cognationem spirituales. Ita D. Thom. in 4. dist. 42. q. 1. a. 1. & colligitur ex cap. Si vis, de cognat. spirit. Baptizans autem etiam in necessitate proprium filium habitum extra matrimonium, nequit illud sine dispensatione contrahere cum ejus patre, vel matre, prout declaravit sac. Congreg. 5. Martii 1678.

145. Inq. 4. An qui commisit incestum cum consanguinea in primo, aut secundo gradu, privetur jure debitum licite petendi? R. Vel est cum consanguinea propria, vel est cum consanguinea alterius conjugis. Si primum, esto amittat jus petendi debitum ob adulterium, non tamen petit illicite, quia non adest jus id prohibens. Si secundum, illicite petit ex cap. de eo, qui cognovit. Unde esto in utroque casu amittat jus petendi debitum, & in primo gravius peccet, tamen solum in secundo petit illicite, seu peccat petendo; licet reddere in utroque possit innocens. Si uterque conjux commisit modo dicto incestum, vel fuit consentiens, aut complex in alterius crimine, uterque privatur jure licite petendi, quia jura favent innocenti, & complex delicti non est innocens. Quare separare debent torum, donec dispensationem obtineant. Ex cap. Discretionem, tit. De eo qui cognovit. Quid autem dicendum sit de muliere conjugata, coacte, vel invito consentiente in incestu, recole dictum caput cum sua glossa, & infra tract. 36. n. 63. & tract. 37. n. 7.

145. Inq. 4. An qui cum ignorantia committit dictum incestum privetur jure licite petendi debitum? Ante decisionem nota triplicem esse ignorantiam; juris nempe, facti, & poenae. Prima est ignorare legem ecclesiasticam prohibentem dictum incestum. Secunda est ignorare hanc feminam esse consanguineam sui conjugis, licet sciat dictam legem. Tertia est ignorare poenam, licet sciat legem, & agnoscat hanc mulierem esse sui consortis consanguineam. Igitur:

147. R. Solum excusare a poena ignorantiam facti. Nam ut habetur in cap. de ignorantia 13. Ignorantia facti, non juris excusat. Ideo tantum quando quis ignorat talem feminam esse consanguineam sui conjugis impedimentum petendi debitum non incurrit; quia non committit incestum formalem. Verum hoc perpetrato ignorantia poenae, aut legis non excusat. Alias lex fere inutilis redderetur, cum vix aliquis ex conjugatis illam sciat, nisi forte qui canonibus, aut theologia vacavit. Neque hic punitur contumacia, sicut in censuris, sed delictum incestus, ut nuper diximus.

PUNCTUM XIV.

De honestate servanda in usu matrimonii.

148. Inq. 1. Quid sit observandum a conjugibus in usu conjugii? R. Eos servare debere honestatem naturalem, quam ipsa rationalis natura deposcit, & dicitur, ut sit honorabile connubium in omnibus, & torus immaculatus, ut ait Apostolus ad Heb. 13. alias opus ex se licitum, & bonum redditur pravum, & illicitum. Unde conjuges debent uti matrimonio sine saltem principali consequendi bona illius, vel aliquid eorum: nempe bonum prolis fidei, aut sacramenti, hoc est unionis, aut mutui amoris.

149. Inq. 2. Ex quot capitibus actus conjugalilicetus evadere possit? R. posse vitari ex quatuor praecipue capitibus. 1. Ex fine, vel intentione. 2. Ex tempore. 3. Ex loco. 4. Ex modo. Evadit illicitus ex fine, quando hic est pravus, vel indebitus. Unde habens copulam conjugalem ob solam delectationem peccat, quia habet finem indebitum. Constat ex prop. 9. damn. ab Innoc. XI. Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus carere culpa, ac defectu. Cujus falsitas liquet; quia sicut cibus, & potus debent sumi ad conservationem individui, alias invertitur finis, ad quem natura eos ordinavit, ideoque eorum sumptio ob solam voluptatem est culpa venialis, secluso alio nocimento; ita pariter de actu conjugalilicet, qui ordinatur a natura ad prolis generationem, & non ad solam voluptatem. Hanc autem habere in tali actu concomitanter, seu eam sumere, ut applicatio ad illum ordinatum

ad

ad debitum finem, omni culpa caret. Igitur culpa non est in actu, nec in voluptate, sed in voluntate finem invertente. Nam cum debeat uti fruendis, fruatur utendis. Si conjux ita utatur sua, ut eodem modo uteretur aliena, vel in actu cum propria aliam sibi representet, & deficiat in ea, peccat graviter, ut ex se patet. D. Thom. ibi q. 49. a. 6.

150. Inq. 3. An diebus festis, & jejuniorum sit conjugibus illicitus, aut prohibitus actus conjugalilicet? R. affirmant aliqui; inter quos Concina in praesenti plures auctoritates conglomerat ad id probandum, non distinguens inter disciplinam antiquam, & hodiernam. Nihilominus dicendum est, quod licet olim severe esset prohibitus usus conjugii in quadragesima, & aliis diebus jejuniorum, nunc solum sub consilio est interdictus conjugibus. Ideo Confessarius eis prudenter suadeat continentiam pro tali tempore; non tamen eam illis imponat sub peccato: Ita erudite Bened. XIV. in Syn. lib. 5. cap. 1. n. 8. An liceat conjugibus communionem recipere ante, vel post copulam conjugalem? Vid. Tract. 25. n. 27. ubi dicitur posse, & debere conjugem in die communionis reddere debitum. Imo & posse petere causa prolis generandae: non vero causa voluptatis, esto melius sit a petitione omnino abstinere. Sed quae tantum sunt de consilio, non sunt docenda tamquam de praecocepto.

151. Inq. 4. Quale peccatum sit usus conjugii tempore menstrui naturalis feminae? Oportet distinguere menstruum naturale a fluxu sanguinis, quem nonnulla continue, aut diurne patiuntur. In hoc autem tempore licitus est actus conjugalilicet reddendo, tum petendo; alias nimis onerosa continentia imponeretur conjugibus. Difficultas solum versatur de tempore menstrui naturalis, quo statis temporibus laborat feminae, vel tribus, aut quatuor, vel etiam quandoque octo diebus in mense, juxta diversitatem valetudinis, aut complexionis. Igitur:

152. R. Quod si femina, post monitionem suae indispositionis factam marito, hic non acquiescat, sed instanter petat, valet licite debitum reddere, ne illum periculo incontinentiae exponat. At conjux petens debitum dicto tempore peccat; non quidem graviter, ut quidam sine funda-

Tom. II.

mento asserunt, sed venialiter ob indecentiam, & deformitatem congressus tali tempore habiti, ut docet D. Thom. in 4. dist. 34. a. 1. q. 3.

153. Inq. 5. An tempore, quo uxor est gravida, liceat conjugibus matrimonio uti? R. Quod tali tempore non licet petere debitum ob quamdam injuriam, quae fit foetui. Imo, si imminet periculum abortus, esset gravis culpa congressus conjugalilicet, si ve petendo, sive reddendo habitus. Esset enim quoddam homicidii crimen. Secluso vero dicto periculo, petere debitum est veniale; reddere autem nullum. Idem de tempore puerperii, seu dum infans lactatur. Tunc quippe si ex congressu imminet damnum notabile proli, nec peti, nec reddi valet debitum absque culpa gravi. Unde serio sunt reprehendendae nutrices, quae filios nobilium lactandos suscipiunt, quin desinant operam dare conjugio proprio; peccant enim contra justitiam. Nam si id nobiles scirent, minime filium lactandum eis traderent. Igitur vel a conjugii usu abstinere debeat, vel a lactatione recedere. Verum dum proprium filium uxor lactat, & notabile damnum ei non imminet, possunt conjuges sibi reddere debitum absque culpa gravi. Alias nimis onerosum esset eis matrimonii jugum. Mater proprio lacte debet sub veniali alere filios, nisi rationabili causa excusetur, ut ait Bened. XIV. in Syn. lib. 11. cap. 7. n. 9.

154. Inq. 6. An liceat conjugi petere debitum ad sedandam concupiscentiam? Huic difficultati satis obviam varie respondent theologi. Dicimus tamen, quod petere debitum ad sedandam concupiscentiam propriam est peccatum veniale, quia adest quaedam superfluitas, seu incontinentia; petere autem illud ad sedandam concupiscentiam alterius nulla culpa est, quia hoc est quaedam redditum debiti. Ita expressit D. Thom. in supplem. q. 49. a. 5. ad 2. At si conjux graviter tentatus, petat debitum, ne frangat fidem matrimonii, aut ne cum alia rem habeat, immunitis a culpa est censendus; quia sic habet pro fine unum ex bonis matrimonii, nempe servare fidem. Confessarii autem, Concionatores, aut Parochi, qui de his fideles monere quandoque coguntur, caute se gerant, proferendo verbis pudicicis solum ea, quae praecise necessaria sunt, ad fines conjugii

Pp

cau-

caute exponendos.

155. Objic. Apostol. ad Cor. 7. ait: *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat*, ergo licitus est usus conjugii ad sedandam concupiscentiam propriam; maxime cum subinde addat Apostolus: *melius ex nubere, quam uri*. In his verbis fundantur aliqui, ad id asserendum, matrimoniumque esse institutum post peccatum ad sedandam concupiscentiam. R. tamen Apostolum respectu continentiae non concedere conjugium, tamquam quid bonum, sed ut minus malum comparatum ad fornicationem, & adustionem libidinis igne. Ideo addit id dicere *secundum indulgentiam, non secundum imperium*. Hoc est *secundum veniam*. Quæ autem sic permittuntur, vix a culpa veniali excusantur, nisi ob aliam rationabilem causam fiant, ut de petitione debiti ad sedandam concupiscentiam alterius, vel propriam ob fidem servandam diximus. Pariter actus conjugalis, habitus solum ob sanitatem corporis, est culpa venialis, quia invertitur finis matrimonii, quod ex se ad sanitatem non ordinatur, ut docet D. Th. loc. cit. ad 4.

PUNCTUM XV.

Alia dubia de honestate in usu conjugii servanda.

156. Inq. 1. Quando erit illicita copula conjugalis ex circumstantia loci? R. Vitari, quoties non fiat in loco congruo; ut si haberetur, ubi posset videri, vel in loco sacro absque necessitate: tunc enim gravissimum esset peccatum ratione scandalii, indecentiæ, aut sacrilegii. Imo ob eandem rationem tactus, amplexus, aut quid simile, alias conjugibus licita, debent penitus in publico, vel coram familia, aut aliis vitari propter honestatem, quam servare debent ob aspicientium fragilitatem.

157. Inq. 2. An aliquando sit licita copula conjugalis in loco sacro? R. Semper foret peccatum sacrilegii, si fieret absque necessitate. At supposita necessitate diu morandi in Ecclesia ob bellum, obsidionem, aut aliam causam, & periculo incontinentiæ, licita esset. Præcepta enim

Ecclesiæ nollunt obligare cum tanto rigore in casu necessitatis. Unde effusio sanguinis, quæ facta in Ecclesia est sacrilegium, si fiat cum necessitate, aut in propria defensionem, non sacrilegium, sed licita est.

158. Inq. 3. Quando erit illicitus congressus maritalis ratione modi, aut situs? R. Esse illicitum quoties non servatur situs, aut modus congruus, & honestus a natura præscriptus: ut si fiat absque necessitate, aut causa, stando, sedendo, aut situ inverso, viro sucubo, & femina incubæ, quæ omnia valde reprehensibilia sunt seclusa causa. Imo, si adsit periculum extra vas seminandi, sunt peccata gravia: præcisio autem tali periculo, & causa, sunt venialia.

159. Inq. 4. An coitus præposterus inter conjuges sit graviter illicitus? R. Omissis aliorum placitis, quod, si fiat frequenter absque necessitate, est grave peccatum, dissonat enim graviter rationi talis coitus, non hominum, sed bestiarum proprius. Potiori ratione idem est dicendum de coitu in vase præpostero incepto, licet in vase naturali consumato, est enim inchoata copulæ sodomitica. Unde non mihi arridet quorundam regula generalis, quod semper, ac servatur in modo coeundi vas naturale, non excedit limites peccati venialis; esto enim in modo præpostero, absque causa adhibito, servetur vas naturale, adest fœdissima dissonantia, & sæpe tactus sodomitici, pene inseparabiles ab effreni libidine sic se gerentium. Nec D. Thom. docet oppositum, sed quod *non semper est peccatum mortale*, hoc est, dum fit cum causa. In 4. dist. 31.

160. Inq. 5. An tactus, & oscula sint licita inter conjuges? R. Esse licita ad mutuum amorem fovendum, vel ad copulam se disponendum; sic enim matrimonii honestate excusantur. Dum autem habentur causa libidinis sine ordine ad copulam, vel ad mutuum amorem, venialia sunt, secluso periculo pollutionis; cum ejus quippe periculo mortalia exadunt: similiter, si tactus sint adeo turpes, ut graviter dedeant honestatem naturalem, etiam si fiant intuitu coitus, & absque periculo pollutionis, peccata gravia sunt. Nam matrimonium talia flagitia, aut propudiosa non cohonestat, nec permittit. Idem est de tactibus

tactibus conjugis secum habitus, dum abest ab alio, vel quando nequit opus conjugii exercere; tunc enim illiciti sunt tactus conjugibus secum separatim habiti eodem modo, ac solutis. Imo de tactibus etiam licitis monendi sunt conjuges, ut moderate solum, & debita honestate illos habeant, ne contiauis peccatis venialibus obruantur.

161. Inq. 6. An femina, quæ non possit seminare in actu conjugali, possit immediate, postquam vir seminavit, & se retraxit, tactibus se excitare ad seminandum? R. Posse absque culpa, saltem gravi. Tum quia illa excitatio est velut complementum copulæ. Tum quia alias esset exposita maximo periculo plura peccata gravia committendi. Ideo expedit feminas tardiores taliter se disponere ad coitum, ut simul ambo seminent; hoc enim semper curare debent ad fœtus perfectiorem formationem. Vir autem postquam seminavit, potest se retrahere, nec tenetur amplius expectare, licet possit, & congruat se detinere usque ad alterius seminationem. Peccat tamen graviter vir, si post uxoris seminationem se retrahat ante seminationem sui; frustrat enim semen fœmineum. Similiter ambo conjuges grave peccatum committunt, si inchoata copula, nullo seminante, recedant; est quippe actio valde turpis, nisi honestetur ab aliquo fine matrimonii, qui tunc abest, ut supponitur. Solum valet excusari ex alio quo accidenti inopinato, ut si quis cubiculum ingrederetur, vel grave damnum immineret. In copula autem fornicaria nulla est culpa ante seminationem recedere; imo debet tunc semper recedi, quia quilibet tenetur semper a peccato quanto citius desistere. Nam licet inde pollutio extra vas sequeretur, esset tunc præter intentionem.

162. Inq. 7. An uxor, quæ experitur virum se retrahere a copula conjugali cum pollutione extra vas, possit illi reddere debitum? Hoc detestabile flagitium perpetrabat Onam, propter quod occidit illum Deus, ut patet ex cap. 38. Genes. Ad questionem igitur resp. sub distinctione. Vel enim semper vir ita se gerit; vel solum aliquoties. Si hoc secundum, potest uxor reddere debitum, monendo illum, ut a tanto crimine absteineat, quia ignorat,

si tunc etiam illud perpetrabit. Si vero primum, peccat graviter mulier, debitum reddendo alteri Onam, pejori bellua assueto semen humanum prodigere: nisi in casu, quo firmissime promitteret abstineri a tanta fœditate.

163. Inq. 8. An delectatio morosa de cogitatione copulæ habitæ, vel habendæ ab altero conjugis, dum ea haberi non potest, sit culpa lethalis? R. Quod esto speculative, & quibusdam circumstantiis sit forte probabilis sententia negativa; tamen in praxi sequenda est affirmativa; quia valde periculosa est delectatio deliberata de talibus objectis, suapte enim natura commovent spiritus generationi diservientes, proindeque est quoddam initium pollutionis. Nec talis delectatio ordinatur ad copulam conjugalem, quæ supponitur haberi non posse, ergo sistitur in ea, ac proinde illicita graviter est conjugibus eodem modo, ac viduis, vel sponsis de futuro. Conjugibus enim, dum invicem absunt, aut congregari nequeunt, taliter illicita est delectatio de copula, ac si conjuges non essent. Aliud est delectari de copula, aliud delectari de ejus cogitatione; sed utraque respectu conjugum in casu posito est illicita.

CAPUT III.

De impedimento matrimonii.

Ad explananda matrimonii impedimenta gradum facimus, supposita tamquam de fide potestate Ecclesiæ ad eam statuenda, ut constat ex Trident. Sess. 24. Can. 4.

PUNCTUM I.

De impedimentis impedientibus.

164. Inq. 1. Quenam sint impedimenta matrimonii? R. Esse in duplici differentia. Alia sunt impedientia; alia dirimentia. Impedientia sunt, quæ illicitum, non invalidum efficiunt matrimonium. Dirimentia vero, quæ illicitum, & invalidum illud efficiunt.

165. Inq. 2. Quor, & quanam sint impedimenta impedientia? R. Esse quatuor, & contineri in hoc versus Ecclesiæ votitum, sem-